

Letter 458: 25 December 1531, Basel, Capito to [Nicholas Kniebs]

The manuscript of this letter is in the Kongelige Bibliotek, Copenhagen, ms. Thott 497, f. 81.

5 Gratiam et pacem, observandissime patrone. Pridie eius diei quam essem abiturus, comitante  
Bucero, D. T. in cancellaria quesivi, veniam abeundi impetraturus. Nam in animum induxeram,  
abesse dies aliquot, ut mihi videtur non sine fructu ecclesiarum. Verum enimvero, tum res tibi  
cum captivis forte erat, nec vacavit, ut iterum conarer per me coram appellare, quemadmodum  
10 animus avebat, itaque negocium Bucero dedi idem agendi verbis meis. Contigit ut huc venirem  
salvus, intraque unam dieculam tanta se obtulerunt commoda, ut me suscepti itineris minime  
peniteat. Quare consilium cepi hic expeditus, reliquas quoque ecclesias invisendi. Nam ita ex usu  
videtur atque officii nostri ratio efflagitat. Ea parte subsidio adesse decet, qua laboratur maxime,  
confractae nunc res sunt, quas non dubie Dominus pulchre reficiet. Letis rebus cum ad pietatem  
15 languent, adversis incenduntur, id quod coram experimur. Reliqua ex fratre meo Bucero.  
Commendo me Dominationi tuae eximia. Die natalicio Domini, Basileae, ad finem anni 1531.  
Tuus Wolfg. Capito